



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1729. usque ad annum 1731

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1785

VD18 13322648

§. 67. Summa epistolæ a Clero Gallicano contra Montpessulani literas Regi oblatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67677)

Sæc. XVIII. A. C. 1730. conventum esse habendum, ut hac fu-
per re maturum institueretur examen;
convenientibus igitur cunctis illi, qui
Montepessulano favebant, contra epis-
tolæ ideam, nescio quæ opponebant,
quinimo Sanitiensis Episcopus, ne
agnitæ veritati acquiescere compelleretur,
nunquam ad Sessiones reversurus
ad suam Diæcesin profectus est, die vero
quinta Septembris quidam Sacerdos
nomine Episcopi Montepessulani Valrabio
Abbati ac Secretario literas consignavit,
vi quarum hic Episcopus cunctis
intercessit, quæ contra ejus epistolam
ad Regem, ceteraque ejus scripta in
comitiis decernerentur: Interim Coo-
gregati Præfules, ut omnem cavillandam
ansam Adversariis præriperent, ex li-
teris Regi porrigendis nonnulla durius
expressa delevere, alia temperarunt,
& quædam correxerunt.

§. LXVII.

*Summa epistolæ a Clero Gallicano
contra Montepessulani literas
Regi oblatæ.*

Hanc epistolam ita eliminatam non modo
Præfules in comitiis congregati, sed etiam inferioris Ordinis Oratores
ac Deputati suo chirographo die
undecima Septembris firmarunt, ac de-

mum unanimi consensu decrevere, ut Sæc. XVIII.
A. C. 1730.
 Burdegalensis Archiepiscopus, Gilbertus de Montmorin Aturiensis, Antonius Franciscus Monteley Augustodunensis & Bologniensis Episcopi necnon quatuor Abbates has literas Regiæ suæ Majestati offerrent. His ergo ad Regis alloquium admittis Archiepiscopus præfente Aurelianensi Duce, Fleuryo Cardinale, Regii sigilli Custode, & Maurepasio Comite adversus Montepesulanum, & contra Parlamentum gravibus verbis ac rationibus perpolitam habuit orationem, qua absoluta Regi nomine Cleri Gallicani epistolam tradidit, cujus, utpote nimis prolixæ nonnisi summam exhibeo: Præprimis igitur querebantur Præsules, quod Montepesulanus Antistes pernicioso suo scripto, cujus se Auctorem esse, fateri non erubuit, indignum in modum suos Confratres lacefferit, simulque Ecclesiam, nec infallibilem, nec visibilem nec Catholicam esse, statuere videatur, proin hoc systemate fides evertatur, hæretici triumphant, & incredulitas per ejusmodi dissensiones promoveatur. „ *Qua ratione, inquiebant* „ *ipsi, tot malorum progressus sisti poterit?* „ *quo potenti auxilio firmari poterit* „ *Religio tam acerbe impugnata? fors* „ *Concilio? ita est, & quidem non alio,*
T 4 „ *quam*

Sæc. XVIII. „quam Narbonensis Provinciæ Synodus
 A. C. 1730. „nostras igitur preces jungimus cum
 „fervidis hujus Provinciæ votis, &
 „Regia sua Majestate hanc exoramus
 „gratiam, quam ab ejus pietate
 „certius nobis pollicemur, quo
 „dentius illam Regni tranquillitas,
 „præprimis Ecclesiæ utilitas depolice
 „videtur: hætenus quidem contra il
 „los, qui Constitutionem *Unigenitus* in
 „pugnant, nonnisi moderatione usi su
 „mus, quæ tamen nunc inutilis &
 „nociva evasit Ut patet ex
 „temeraria, & seditiosa Montpensiani
 „epistola contra S. Gregorii VII. *ost*
 „cium: Ibidem enim hic Antistes ad
 „optat principia, quæ omnia fidei fun
 „damenta convellere possent: vano in
 „super timore populorum animos tut
 „bare molitur, ac frivolis suis decla
 „mationibus, necnon calumniosis cri
 „minationibus sua vitia contegere, &
 „sub falso sinceri ac improbi Zeli ob
 „tentu errores, quos disseminat &
 „scandalum, quo Ecclesiam affligit,
 „honestare nititur: Adinvenit duplex
 „auctoritatis genus scilicet *Persuasiv*
 „nis & *Jurisdictionis*, hæc autem ab
 „stinctio est nova, incognita & scan
 „dalosa quilibet etiam in ejus
 „epistola atram bilem, & vehemen
 „tiam deprehendit, qua quicquid
 „sar

Sæc. XVIII.
A. C. 1730.

„sanctum sacrumque est, proterve ag-
 „greditur. . . . Quæ alia porro ar-
 „ma Adversarii contra Bullam adhi-
 „bent, quam effrænem licentiam, ma-
 „lam fidem, pessimas artes, malignas
 „& captiosas reflexiones, laqueos ad
 „decipiendam populi simplicitatem pa-
 „ratos, calumnias, investivas, sedi-
 „tiones contra Ecclesiam, errores in
 „fide, monstrosa systemata, fanaticos
 „motus; in opem quoque vocant, tur-
 „bidi genii homines, refractarios, No-
 „vatores, Sectarios, pacis hostes, qui
 „nil intentatum relinquunt, ut homi-
 „nes aliunde sat propensos in schisma
 „involvant. Utique hæc secta in unico
 „terræ angulo recondita omnino igno-
 „raretur, nisi suis tumultibus, & sedi-
 „tiosis clamoribus contra maxime Ve-
 „nerandas potestates effusis sese mani-
 „festaret, ac proderet. . . . Enimvero
 „Constitutio *Unigenitus* est Bulla dog-
 „matica ad universam Ecclesiam di-
 „recta, a toto Episcopali Ordine ac-
 „ceptata, ac ipse Ecclesiarum extera-
 „rum consensus cum Gallicana pro hac
 „Bulla efficit consensum generalem,
 „toti etiam Orbi notum est, quod om-
 „nes Episcopi contra Novatores hac in
 „re conspirarint. Hæc Bulla denique
 „est tam firma decisio, ut ejus aucto-
 „ritas, quam totus Pastorum suo
 „Ca-

Sæc. XVIII. „Capiti unitorum cætus recipit, im-
 „A. C. 1730. „gnari nequeat, quin Religionis fun-
 „damenta evertantur, Ecclesiæ Uni-
 „versitas & Visibilitas destruat, & si
 „delibus certa fidei Regula auferatur
 „Talis plane foret Cætus Refractorius
 „Sectarius, schismaticus, fanaticus &c.
 „anathema igitur sit ei, qui in ore Pe-
 „storum non quærit Dei legem, Chri-
 „stus cum his omni die & in omni loco
 „prædicat & docet: Principalium Pe-
 „storum Pontifici unitorum multitudine
 „est Regula. ad quam, prout Christus
 „promisit, fides fidelium certa erit us-
 „que ad consummationem sæculo-
 „rum &c. „

Huic epistolæ subscripti legebantur
 quinque Archiepiscopi, scilicet Caro-
 lus Parisiensis, Ludovicus Rothom-
 gensis, Fridericus Hieronymus Bitur-
 censis, Joannes Baptista Aquensis, &
 Franciscus Honoratus Burdegaleus.
 Episcopi autem erant sequentes: Jo-
 nes Ludovicus Leonensis, Henricus
 Massiliensis, Joannes Armandus Ruthem-
 onensis, Carolus Guilielmus Lombardus,
 Dominicus Laurentius Glandi-
 vensis, Gilbertus Alariensis, Antonius
 Franciscus Augustodunensis, Joannes
 Maria Bolognensis, & Joannes Gra-
 tianopolitanus, præter novemdecim
 Abbates.

S. LXVIII